

rannide *Cusanis* Regis Syriae, cui annos octo Anno
servierat. Insuper *Debiram* Gigantum pro- M.
pugnaculum expugnavit.

Ehud per secretum colloquium trucidavit ^{2552.}
Eglonem Regem superbè imperantem
Israëlitis, ac decem millia *Moabitarum* dele-
vit. Eodem ferè tempore *Samgar* sexcentos
Philistæos pedo pastorali prostravit. Hæc
foris acta: domi bellum funestum exarsit
in Benjamins, quod à reliquis Israëlitis
decretum & gestum est in contumaces Gi-
beonitarum defensores.

Debora conjunctis cum *Baraco* consiliis ^{2632.}
Rempub. Israëlitarum administravit, de-
pulsitque jugum *Jabini* Regis Cananæi, fu-
gato exercitu, ac *Sissera* duce in fuga per
laëlem necato.

Gedeon diu recusavit vocationem, susce- ²⁶⁷²
ptam verò auspicatus est à destructione aræ
Baalis. Contra Midianitarum innumera-
biles pene copias duxit trecentos inermes,
tubis solùm, lagenis & facibus instructos, &
Dei auxilio victor evasit. In fuga oppressit
Reges ducésque hostium. Imperium sibi
delatum magno animo repudiavit, consti-
tutóque victoriæ monumento fati con-
cessit.

Abimelech spurius, trucidatis fratribus, ^{2712.}
studiis Sichemitarum tyrannidem invasit,
& crudeliter annos tres exercuit. Post,
multatis etiam Sichemitis, meritas scele-
rum pœnas dedit.

Thola.

2715.

Jairus.

2738